

ad imum discissum est, XL. cubitos longum, X. latum, palmum vero crassum, eLXXII. filis contextum, quorum quodvis XXIV. filis contortum erat. Hic velim ut ostendant rerum divinarum contemtores, causas illas naturales, quae tantum tamque crassum velum, instar duorum velorum, spatio unius cubiti distentum, utrinque dependens, ἀνωθεν ἕως κάτω disciderint; aut si eas minus pro ingenii sui sagacitate indagare valent, Christi, tanti operis, tantique miraculi effectoris potentissimi laudes nobiscum pie concelebrent. Aut si eo non commoveantur, coelum aspiciant, eiusque motum in morte Sospitatoris factum contemplantur. Ardua res est, de coelo differere, quanto magis de coelesti re, quae semel tantum evenit, nec iterata hominum observatione satis illustrari potuit. Caeterum haud dubito, partim consensu sacri codicis, partim vero ipsa rerum natura duce pronunciare, motum coeli duo potissimum comprehendere, primo commotionem totius universi, quod vulgo coelum dicimus, deinde vero inprimis solis ac lunae. Haud observatum est alias, in terrae motu & coelum moveri; id potius constat, terrae motus sereno ac tranquillo coelo fieri. Tum vero universum coelum vehementissime commotum est. Commotus autem est tam aër liquidus, quam corpora globorum coelestium dura atque solida. Non abhorret haec interpretatio a veri similitudine, si cogites, hanc commotionem coeli comparari ab Haggaeo cum maris atque aridi, seu terrae continentis motu. Oppone itaque aërem fusum mari, & corpora coelestia terrae continenti, nihil certe, quod a ratione abhorreat, in ea deprehendes. Si vero aër motus est, ille omnis tum fusus & extenuatus, tum concretus & in nubem coactus commotionem illam sensit, ideoque & nubes ea commotae intumuerunt, ac per modum aestus maris agitatae sunt. Quando *aridi* in coelo seu corporum coelestium durorum ac solidorum motum cogito, eum ingenti tremore ac perturbatione virium

C 2

gravi-